

jurent hanc pacem pro se, & sua parte attendere, & facere Aquenses istam pacem, & concordiam bona fide sine fraude attendere D. Episcopo, & Alexandrinis, & eorum parti; & si Aquenses contravenirent, quod eos non adjuvabunt, nec defendent. Versa vice jurent Alexandrini ipsam pacem, & concordiam, ut unionem per se, & suam partem attendere, & facere D. Episcopum, & per se, & ejus successores, & Episcopatum ejus attendere bona fide, & sine fraude; & si D. Episcopus, vel ejus successores contravenirent, quod eum, vel eos non adjuvabunt, nec defendent, salvo omni jure, quod Episcopus habet in civitate Aquis, vel in ejus Episcopatu. Item jurent omnes attendere in perpetuum, ita quod ob aliquam discordiam, vel litem, quæ oriatur inter ipsas partes non rumpatur pax, nec guerra inde fiat quoquo modo. Et ita promittant partes, & jurent. Insuper juravit Episcopus, quod faciet bona fide suos homines suæ partis omnia dicta jurare: prædicti D. Episcopus, & Ambaxiatores hanc chartam fieri præceperunt. Interfuerunt testes Gualfredus de Torricella, Petrus Ramfredus, Gualconus de Beccaria, Assalitus de S. Nazario, Zalcherius Trovamala de Papia, & Guastavinus, & Rainerius Nanus, Rufinus de Bellono, Rufinus Scacavellus, & Rufinus de Marengo de Alexandria, & alii plures testes.

Idem juramentum consuli Aquensi.

129

MCCVII.

Anno Incarnationis Domini MCCVII. die Veneris 10. augusti, indictione X. in Ecclesia Sancti Petri de Alexandria in præsentia DD. Arnaldi de Mombello, & Arnaldi de Superaquas Ambaxiatorum Communis Mediolani ad hoc specialiter determinantum. D. Ugo Aquensis, & Alexandriae Episcopus ex parte ipsius Episcopatus fecit pacem, & finem, & refutationem per se, & suos successores, & suos homines, & sua parte magistro Henrico consuli urbis Aquensis nomine, & vice communis ipsius urbis prout per omnia continetur in instrumento pacis, & concordiae, cujus tenor talis est ut supra.

Pro decima Templariorum Ecclesie majori Aquensi debita.

130

MCCVIII.

Anno Domini MCCVIII. indictione XI. die Mercurii 8. julii (1) in Aquis in claustrum sanctæ Mariæ Presbiter Petrus minister sanctæ Margaritæ coram D. Anselmo Præposito dictæ Ecclesie confitetur, quod tenet unam partem terræ, quæ fuit quondam Burghesii, quæ jacet in territorio Aquis in centenario, cui coheret Scota, Rainaldus Lupo, & Joannes Christianus. Quam terram dicit, & confitetur quod debet reddere quartum dictæ sanctæ Mariæ, & consuevit ei dare dictum quartum terræ. Interfuerunt testes Scota, magister Henricus, & Wilhelmus Farinerius rogati. Inde dictus Præpositus jussit chartam fieri. Ego Jacobus Notarius hanc chartam scripsi. Ego Ubertus Galea de Aquis Notarius

Palatinus mandato D. Alberti Aquensis Episcopi hanc chartam factam a prædicto Jacobo sicut in ea inveni ita, & in isto scripsi exemplo ec. Ego Bonifilius Notarius Palatinus ec.

(1) Erravit Notarius pro 9. julii.

Promissio consulum Aquensium servandæ sententiam Potestatis Albensis.

MCCIX.

131

Anno Domini MCCIX., indictione XII., die Jovis 6. exeunte martio in Aquis in refectorio S. Mariæ præsentibus Anselmo Fonpetra de Alba, Anselmo Cerato Ambaxiatoribus Albæ, & Bernardo Notario Albæ, Arnaldo de Meladio, Otto Marenus, Laurentius de Cavatore, Ubertus Moicius, Belengerius de S. Andrea, Arnaldus Bruna consules civitatis de Aquis nomine, & a parte communis ipsius civitatis in pleno consilio voluntate consilii promiserunt stipulantibus Ugoni Claro judici, Alberto de Bonello Sindicis, & Procuratoribus communis Alexandriae nomine, & a parte ipsius communis promissionem recipientibus attendere, & observare ea, quæ in scripto sententiæ sigillato sigillo communis Albæ continebuntur, & quæ in eo descripta a D. Nicolao de Foro Albeni Potestati de voluntate Albensis credentiæ totius, vel majoris partis addentur sub ea pœna, quæ in eodem scripto continetur; & inde isti consules hanc chartam fieri jusserunt. Actum in eodem modo feliciter amen. Ego Gullielmus Notarius Sacri Palatii interfui, hanc chartam tradidi, & me subscripsi.

Sententia Potestatis Albensis de controversiis Aquensibus, & Alexandrinis.

MCCIX.

132

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo nono, indictione XII. 3. idus aprilis. Cum Alexandrini, & Aquenses sese compromississent in D. Nicolaum de Foro Albenem potestatem vice, & nomine communis Albæ stare mandatis, seu præceptis, quæ eis faceret secundum quod continebatur in duobus instrumentis factis a Nicolao Notario D. Nicolaus voluntate consiliariorum Albensium congregatorum per campanam in simul ita pronunciavit, videlicet quod facto sine, & renunciatione, & pace, atque transactione ab Alexandrinis versus Aquenses, & ab Aquensibus versus Alexandrinos ad invicem de omnibus gueris præteritis, & offensionibus, & damnis datis, sive factis in personis, vel rebus ab alterutra partium versus alteram usque ad præsentem diem tali modo, quod neutra partium possit exinde aliquatenus ab altera conveniri salvis omnibus, quæ in infrascriptis capitulis continentur civitas Alexandriae, & civitas Aquis sint una, eademque civitas, & qui consul, vel potestas Alexandriae fuerit, sit consul, vel potestas Aquis. Similiter qui consul, vel potestas fuerit Aquis, sit consul, & potestas Alexandriae, ita tamen quod consul, sive potestas Alexandriae debeat cognoscere solummodo de justitia in suo Foro. Similiter consul, sive potestas, sive